MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80313-26

AUTHOR:

WISSOWA, GEORG

TITLE:

DE FERIIS ANNI ROMA-
NORUM VETUSTISSIMI...

PLACE:

MARPURGI

DATE:

[1891]

Master Negative #

91-80313-26

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Wissowa, Georg. 1859- 1931.
... De feriis anni Romanorum vetustissimi observationes selectae. Marpvrgi, Friedrich, [1891]
15 p. 27½ cm.

Programme. Marburg.

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 14 1/2
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 10-29-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6

no. 5

INDICES

LECTIONVM

ET

PVBLICARVM ET PRIVATARVM

QVAE IN

ACADEMIA MARPVRGENSI

PER

SEMESTRE AESTIVVM

INDE A D. XV. M. APRILIS VSQVE AD D. XV. M. AVGVSTI MDCCCXCI

HABENDAE PROPONVNTVR.

Praemissae sunt Georgii Wissowa P. P. O. *De feriis anni Romanorum vetustissimi observationes selectae.*

MARPVRGI.
TYPIS ACADEMICIS ROBERTI FRIEDRICH.

91

ACADEMIAE MARPVRGENSIS

RECTOR CVM SENATV

COMMILITONIBVS DILECTISSIMIS

S. P. D.

Fasti anni Romani vetustissimi, quales ex hemerologiis anni Iuliani inter Caesarem dictatorem et Claudium imperatorem lapidi incisis reconcinnare per Theodorum Mommsenum virum incomparabilem docti sumus, paene incredibile est quanto opere prae futtilissimis grammaticorum poetarumque commentis spernantur ab iis, qui nostra aetate in indaganda religionis Romanae historia versantur. vana enim spe decepti fieri posse, ut de Evandri, si dis placet, Romulique religionibus certam concipiamus notitiam, a Varronis Verriique vel adeo Ovidii narrationibus profecti, si quae nimis absurde ficta esse patet desecantes, in universum his bonis doctisque viris fidem non negandam esse censent atque ex arbitrio eorum opinionibus, prout ipsorum placitis aut concinunt aut adversantur, auctoritatem modo tribuunt modo demunt: ita veterum coniecturis omni fundamento carentibus suas superstruentes ampla condunt volumina. quibus quos deos ante Romam conditam coluerint cives qui nondum erant Romani et quid Iuno fabulata sit cum Iove nos edoceant. nos haec neque scimus neque scire laboramus, cum hoc pro explorato habeamus, de ea religionis Romanae aetate, quae feriarum ordinationem in fastis descriptam praecedit, neminem veterum ullam habuisse notitiam, ita ut ab iis omnino nihil disci possit et omnia in nostra coniectura posita sint, quae utrum probetur veterum auctorum commentis necne nil adtinet. sed etiam eius quod dixi aevi, quo feriarum laterculus constitutus est, hoc paene unicum superest sincerum documentum: unde quae discimus supplentur sola fere sacerdotiorum p. R. notitia, quorum constitutio ad tempus non multo minus remotum atque ordinatio anni referenda videtur, cum liberae reipublicae aetate nova sacerdotia non magis sint addita, quam novae feriae fastis insertae: etenim quae sola memoratur exceptio firmare magis videtur legem quam rumpere. cum collegium IIIvirum Epulonum anno u. c. 558 conditum tam arte cohaereat cum pontificibus, ut iis eadem ratione additum sit, ac si collegii numerus adauctus esset. quae praeterea supersunt huius vetustae religionis testimonia exilissima sunt: nam quamquam hoc nemo negabit, in Varronis aliorumque libris de sacris nominibus et de caerimoniis antiquis

nonnulla referri, quae ex sacerdotum publicorum commentariis petita omnem fidem mereantur, tamen vel haec cum cautione adhibenda sunt, cum a grammaticis inter antiquissima numeretur quicquid super bellorum Punicorum vel adeo incendii Gallici tempora adscendere videbatur, fastis vero ideo nihil sit pretiosius, quia soli eam nobis monstrant religionis Romanae aetatem, quae adhuc immunis erat a graecarum fabularum infectione. porro vero quae a grammaticis veteribus interpretationis gratia adduntur de singularum religionum historia vetustissima et de deorum cognationibus fabulisque, ea ut e mera hariolatione profecta et plerumque e caerimoniarum interpretationibus, vocabulorum veriloquiis, graecarum fabularum comparationibus consarcinata non minus procul habenda sunt, quam in libri alicuius recensione prae sinceris testibus codices interpolati et grammaticorum recognitionem experti: qui etsi verum nonnumquam praebent, tamen non testes sunt veritatis sed coniectores et in speciosam fraudem pelliciunt qui iis se addicunt. quanto ergo magis ab hac fuscata doctrina abstinendum, eo diligentius fastorum testimonia iterum atque iterum examinanda sunt; itaque quae ego his pagellis post Theodori Mommseni egregias curas ad fastorum interpretationem conlaturus sum, quamvis sint minuta, tamen excusationem habebunt, si religionis Romanae vetustissimae condicionem spissis tenebris involutam vel aliquantulum inlustrare valebunt.

I

Opem deam Romanis antiquitus fuisse Saturni coniugem uno ore adfirmant qui de religione Romana agunt, ita ut ne Henricus quidem Jordanus, vir doctrina et sagacitate de his studiis insigniter meritus, eximatur. et habent huius opinionis testes veteres auctores optimos, Varronem (de l. l. V 57 et 64), Verrium Flaccum (apud Festum p. 186 cp. Paul. p. 187), Suetonium (cui sua debere videtur Macrobius Sat. I 10, 19 sqq.), qui coniugio teneri aiunt Saturnum Opemque, quod tam frugum quam fructuum repertores esse credantur nihilque aliud significent nisi caelum et terram; Saturnum enim sationis deum esse, cuius causa de caelo sit, terram vero Opem, cuius ope humanae vita alimenta quaerantur, vel ab opere per quod fructus frugesque nascantur, vel quia in terra omne opus et ipsa opus sit ad vivendum, vel quia omnes opes humano generi terra tribuat. quae interpretationes cum partim ineptae sint partim otiosae, nihil magis ad rem confert quod Macrobius addit, Philochoro teste Saturno et Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem: nam Graecorum **Κρόνου** et **Ῥέας** religiones a pristino Romanorum cultu prorsus alienae sunt [1]). multo autem gravius argumentum antiquae Saturni Opisque coniunctionis haberemus, si verum esset quod idem Macrobius ponit, ante annum a C. Iulio Caesare dictatore ordinatum et Saturnaliorum et Opalium ferias in unum diem, qui fuerit ante XIV Kal. Ian., incidisse et tum demum ita disiunctas esse, ut Saturnalia a. d. XVI, Opalia a. d. XIV Kal. Ian. celebrarentur. sed nihil clarius est quam hanc opinionem e falso

1) Quod Macrobius addit huic deae sedentes vota concipere homines terramque de industria tangere, non ad Opem sed ad Rheam spectare videtur.

computo originem ducere, cum is qui recte meminisset ante insertos a Caesare mensi Decembri duos dies Saturnaliorum diem non fuisse XVI Kal. Ian. sed XIV, neglegeret tum ne Opalia quidem eodem quo post Caesarem die, id est XIV Kal. Ian., acta esse, sed XII, ita ut idem feriarum interstitium et ante Caesarem et post fastos correctos observatum sit; scimus enim quam anxie in novanda anni constitutione Caesar caverit, ne feriarum ordo in singulis mensibus turbaretur. corruit igitur quicquid veteres grammatici adferunt, quo Saturnum Opemque antiquitus Romae coniunctos fuisse demonstrent. at alia recentiores addiderunt. advocant inprimis inscriptionem vasculi figlini a. 1880 Romae in Esquiliis reperti vetustissimam, in qua explicanda desudaverunt H. Dressel, H. Jordan, F. Buecheler, Th. Bergk, alii multi, quos enumerat Engelbertus Schneider (Dialect. italic. exempla selecta I n. 19): maior enim interpretum pars in eo consentit, Iovi et Saturno vasculum dedicari (primas enim inscriptionis litteras IOVEISATDEIVOS significare *Iovi Saturno divis*) et praeterea de piaculo Opi Toitesiae dando sermonem esse, ita ut hic quoque Saturnus et Ops una advocari videantur. verum cum in lectione et interpretatione tituli intricatissimi tantum non omnia incerta sint, ut de Ope Toitesia nunc concedam, num re vera Saturni mentio insit omni modo dubitandum videtur: gravissime enim offendit cum coniunctio deorum quibus donum offerri dicitur Iovis et Saturni, tum huius dei nomen per insolitum compendium SAT scriptum in inscriptione, cuius omnia vocabula plenis litteris exarata leguntur. sed etiam hoc testimonio careri posset et omnis de Saturni Opisque coniugio dubitatio evanesceret, si re vera Opalium die festo Opi in aede Saturni sacrificatum esse constaret vel adeo, quae est Ottonis Gilberti sententia (*Gesch. und Topogr. der Stadt Rom* I p. 247), vetusta ara Saturni in radicibus Capitolii sita antiquitus Saturno et Opi sacrata fuisset. nam cum antea ex auctoritate tituli a Leonardo Gutenstenio conficti, qui nunc est C. I. L. VI 3240*, aedes Saturni proprie Opis et Saturni audisse putata sit, nunc tituli fraude detecta restat testimonium fastorum Amiterninorum, in quibus ad diem Dec. 19 adnotatum legimus: *OPAL(ia). fer(iae) Opi. Opi ad forum;* quae verba ita interpretatur Jordanus (Ephem. epigr. III p. 72), ut Saturno et Opi eadem ratione ad Saturni aedem sacrificatum sit, qua Cereri et Telluri ad Telluris, Soli et Lunae ad Lunae fieri videmus; quamquam postea (*Röm. Topogr.* I 2 p. 197 n. 37 et p. 365 n. 73) opinionem suam Mommsenum (Ephem. epigr. I p. 37) secutus ita immutavit, ut hoc sacrificium Opi *in foro* factum non alibi celebratum esse suspicaretur atque alterum, quod Opiconsivium feriis hoc est die Aug. 25 *in regia* fieri et hemerologium fratrum Arvalium et Varro (de l. l. VI 21) auctores sunt. at utramque Jordani sententiam bene refutavit Aemilius Aust noster (de aedibus sacris populi Romani p. 40 sq.) contra priorem hoc inprimis monens, nulla ratione fieri potuisse, ut ex diis uno delubro coniunctis, quales Saturnum Opemque fuisse Jordanus autumavit, sacrificium non templi possessor sed sola *σύνναος* dea acciperet, contra alteram in sollenni fastorum sermone nusquam verba *in foro* et *in regia* promiscue usurpari potuisse; addere poterat haec sacrificia, qualia in hemerologiis per nomina deorum tertio casu expressa addito sacrificii loco adnotantur, omnia ad dedicatas aedes sacras spectare, illud autem sacrarium regiae inter aedes sacras non fuisse. itaque nil restat, nisi ut aedem

aliquam Opis in foro sitam fuisse statuamus, cuius praeter illam fastorum Amiterninorum notam nulla superest mentio: quod neminem mirum habebit qui meminerit viginti fere aliorum templorum, quorum elenchum dat Austius p. 31 sqq., nullam aliam ad nos pervenisse notitiam, nisi quod dedicationum dies in hemerologiis indicantur.

Ruptis igitur omnibus quae Opem Saturno copulare videbantur vinculis circumspiciendum est, num quae alia suppetant subsidia, quae doceant ad quem deum dea referenda sit: nam in religione Romana vetustissima deos ita dispositos fuisse, ut singuli dii masculi singulis feminis non per iustum matrimonium sed ex officiorum adfinitate coniungerentur, documento sunt comprecationes deorum immortalium, quas ex libris sacerdotum populi Romani profert Gellius N. A. XIII 23; ubi nominantur Lua Saturni, Salacia Neptuni, Hora Quirini, Maia Volcani, Nerio Martis, quibus addere licet Iunonem Iovis (nam in titulo urbano C. I. L. VI 357 *Iunone Loucinai Diovis* cum Mommseno ita coniungenda videntur, ut suppleatur *coniugi* aut tale quid), Faunam Fauni, Liberam Liberi uxores, alias. habes ergo Saturno Luam deam adiunctam, contra Opis nulla exstat mentio. sed omnia clarescunt simulatque Opis ferias, quae binae per annum redeunt, utrasque triduo interposito subiungi feriis Consi observaveris: nam cum Opiconsivia die Aug. 25, Opalia Dec. 19 fierent, Consualia priora Aug. 21, altera Dec. 15 celebrabantur. quod minime casu factum esse dudum monuit Mommsenus C. I. L. I p. 400 haec adnotans: *scilicet Consus est deus condendi, id est messis horreorumque, unde ara eius latere solet sub terra secundum antiquissimam frugum ita condendorum consuetudinem nec nisi festis eius diebus aperitur; Ops autem consivia terra est, cui gratiae aguntur eodem tempore pro seminibus acceptis et cum fructu restitutis.* ubi ut verissime Consi dei indoles explicata est, de qua ita caecutiverunt grammatici veteres, ut eundem atque Graecorum Neptunum deum esse adfirmarent (vide quae congessi apud Roscherum lexic. mythol. I p. 926), ita Opem terram esse quae semen recipiat ideoque consiviam dictam, hoc est quae conseratur, praefacte nego. consiviae enim cognomen a conserendi verbo alienum esse egregie demonstravit Jordanus (Herm. XV p. 16 et apud Prellerum myth. Rom. II p. 21 n. 1 et p. 24 n. 2): non enim *consiviam* esse deam, sed *consivam*, quod Varronis Festique libri testantur, — ferias autem Opiconsivia — idque cognomen a participio *consus* eadem ratione derivatum esse qua *indictivus*, *impetrativus*, *oblativus*, alias voces pontificales a participiis passivis suffixi *-ivo-* ope formatas. unum vero non vidit Jordanus [2]), deam non esse *consivam* sed *Consivam*, hoc est non ab ipso participio dictam quasi conditivam, sed a deo quasi Consi coniugem, non aliter atque in precationum carminibus invocabatur Here Martia aut apud Umbros in tabulis Iguvinis Tursa Iovia, Cerfus Martius, Praestita Cerfia. vide autem quam bene conveniat deo messis condendae

2) Conturbavit rem eo, quod *Iani consivii* nomen idem esse arbitratus cum Ope coniunxit; sed is deus apud Tertullianum ad nat. II 11 ex auctoritate codicis Agobardini est *consevius*, ita ut explodatur Macrobius I 9, 15 sq. *consivium* dicens. *consevius* autem iure cum conserendi verbo coniungitur: formam enim **consevos*, a qua suffixi *-io-* ope *consevius* derivatur, a *sē* (cf. *sē-men*) deduci sicuti *arvos*, *pascuos* ab *ar(are)*, *pasc(ere)* amice me monuit Franciscus Skutsch, qui idem etiam de Agonii et Mulciberi vocabulorum, de quibus infra agam, origine me edocuit.

conditaeque cum Ope, cuius ipsum nomen nihil aliud significat nisi opimam frugum copiam, quae horreis conditur, et quam apte utrumque numen feriis celebretur et mense Augusto circa finem messis et media hieme peractis fere excutiendi frumenti laboribus: nam *ferias in famulis operibus patratis haberi*, id est *ad perfectionem operum rusticorum conferri* ex sententia pontificum Romanorum iubet Cicero de leg. II 19 et 29. neque id neglegendum est, eodem secreto, quo Consi ara in circo sub terra delitescit, etiam Opis religionem tegi, cuius in regia sacrarium ita arcanum, ut eo praeter virgines Vestales et sacerdotem publicum introeat nemo [3]). denique ex ea quam protuli Opis deae interpretatione lux adfertur ei sacrificio, quod Volcanalium die (Aug. 23) incendiorum arcendorum causa apud aedes Volcani in circo Flaminio, Iuturnae et nympharum in campo, Opis opiferae in Capitolio, Quirini in colle, Volcani in comitio factum testatur fratrum Arvalium hemerologium (cf. Jordan Ephem. epigr. I p. 229 sqq.): nam ut Volcanus ignis gubernator et Iuturna reliquaeque nymphae aquarum subsidia suggerentes, ita Ops advocatur, quae horrea modo frumentis repleta ab incendiorum periculis immunia servet; nec fortuito factum esse, ut haec Volcani dei infesti placatio messe peracta media inter Consualia et Opiconsivia interponeretur, Huschkius vidit (*Das alte röm. Jahr* p. 251).

Iam igitur id quod feriarum Opis et Consi in fastis vicinia indicabat et nomine et indole deae omnibus modis firmari vidimus, numina fuisse antiquitus inter se coniuncta. quodsi postea a coniuge suo Ops abducta est Saturnoque in volgi opinione copulata, ingruentibus graecarum fabularum nubibus factum est. nam postquam Saturnum deum a Graecorum **Κρόνῳ** non esse diversum creditum est, cum inter Romana numina circumspicerent quae huius coniugi Rheae responderet, ultro se offerre videbatur ea dea, cuius feriae Opalia a Saturnalibus proxime aberant, praesertim cum et Opem et Rheam terram significare communis opinio ferret (cf. Merkelius proleg. ad Ovid. fast. p. CCXXXIX). quae comparatio, qua religioni Romanae nihilo plus lucis adferri concedendum est quam inde, quod matrem Matutam Leucotheae, Stimulam Semelae, Virbium Hippolyto adsimulaverunt, quando instituta sit pro certo dici nequit: certe Saturnum pro **Κρόνῳ** iam Livius Andronicus constanter ponit, cum Iovem Iunonemque Saturni pueros dicit, et de Saturno Opeque Iovis parentibus longum sermonem nectit Plautus Cistell. II 1, 37 sqq.; cuius loci sales, qui eo consistunt quod Alcesimarchus deorum cognationem perturbat et a Melaenide corrigitur, quamquam iure a Jordano (Herm. XVI p. 230) ex exemplari graeco derivantur, tamen intellegi a spectatoribus Romanis non poterant nisi Opem eandem esse atque Rheam arbitratis [4]). neque hoc mirum est, quoniam Rheam deam iam sat antiquo tempore in Romanorum notitiam pervenisse iam Rheae Silviae fabula demonstrat, de qua conferendi sunt Schweglerus hist. Rom. I p. 428 et Herm. Diels *Sibyllin. Blätter* p. 94 sq.

3) Varro de l. l. VI 21. neque alia causa est cur nonnulli, quorum fides satis firma esse visa est Macrobii III 9, 4 auctori, Opem Consivam haberent pro arcano numine, in cuius tutela urbis Romae salus posita esse credebatur.

4) Cf. etiam Plauti mil. glor. 1082, Pers. 252 et Euhemeri Enniani excerpta a Lactantio inst. div. I 14 servata.

Veteris Opis Consivae num quae memoria in religione populi posterioris aetatis remanserit non facile diiudicaveris: nam tituli Opi dicati Praenestinus et Albensis (C. I. L. XIV 3007. IX 3912; Aeserninum IX 2633 consulto omisi) possunt fortasse ad illam referri; arae vero idibus Augustis anni p. Chr. 7 Opi Augustae et Cereri matri in vico iugario dedicatae (C. I. L. I p. 399) ad graecam deam spectabant; nam hic Opem pro Tellure cultam esse docet eius cum Cerere coniunctio.

II

Vidimus numinum sociatorum Consi Opisque ferias in fastis ita coniungi, ut et Opiconsivia et Opalia celebrata sint *post diem quintum Consualia*, triduo inter utrasque ferias interiecto. quod in feriarum Romanarum ordinatione minime singulare est, sed compluribus aliis exemplis firmatur. nam cum Mommsenus (C. I. L. I p. 366) demonstraverit ferias per plures dies extensas non continuari nisi cum intervallis idque propter numeri imparis studium in omni anni Romani dispositione conspicuum evenisse, haec observatio ita suppleri potest, ut plerumque inter complures dies feriatos, qui aut ad easdem ferias pertinent aut eidem deo celebrantur aut numinibus inter se cognatis dicantur, non singuli dies interponantur, quod fieri videmus in Lucariis Iul. 19. 21 actis, sed tridua, cuius usus exemplum maxime perspicuum Carmentalia offerunt, quae aguntur Ian. 11. 15[5]): Lemuria, quae tribus diebus concluduntur Mai. 9. 11. 13, utram legem sequantur in incerto est, cum inter primum ultimumque diem festum triduum, inter singulos singuli dies intersint. sed suppetunt exempla alia. mense Aprili triduo interiecto celebrantur vicinae feriae Fordicidia Apr. 15. Cerialia Apr. 19, quae artissimo conectuntur vinculo; Fordicidiis enim Telluri fordarum boum sacrificium fieri Ovidius testatur fast. IV 634, Telluris autem cum Cerere iam in vetusta Romanorum religione certa conspicitur consociatio, cuius multa adferri possunt testimonia. sic feriis Sementivis et Telluri et Cereri flamen sacrificat cum invocatione omnium numinum quae arva tueri credebantur, ut narrat Ovidius fast. I 671 sqq. et quem iure huc rettulerunt Fabius Pictor apud Serv. Georg. I 21; porca praecidanea, quamquam Cato de agri cult. 134 et Gellius IV 6, 8 solam Cererem nominant, et Cereri et Telluri immolatur secundum Varronem (de vita p. R. III apud Non. p. 163 Merc.), sicut in universum porci sacrificium inprimis his duabus deabus convenit[6]); denique idibus Decembribus, quo die a. u. 486 Telluri aedes in Carinis dedicata est, praeter Tellurem etiam Cereri fit, et quamquam in hoc

5) Video hoc non fugisse Usenerum, qui haec adnotat mus. Rhen. XXX p. 222 n. 6: *Es scheint in den italischen Sacralkalendern nicht selten gewesen zu sein, dass dem Feste eines Gottes am fünften Tage ein gleiches folgte. Der römische Kalender bietet noch mehrere ähnliche Fälle (Carmentalia am 11. und 15. Jan., Lemuria am 9. und 13. Mai), aus denen man ersieht, dass solche Feier des 5. Tages nicht bloss nach den Iden vorkam, wenn sie auch dann am häufigsten sein mochte.* sed ipse hanc observationem non ultra prosecutus est.

6) Vide quae composuit J. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 365 n. 2 et adde Horat. epist. II 1, 143.

sacro lectisternii mentio in fastis Praenestinis[7]) et apud Arnobium VII 32 facta graeci ritus indicium est, tamen ipsa dearum coniunctio ad veterem Romanorum superstitionem quin redeat dubitationi exemptum videtur. iam concedes opinor ne Aprili quidem mense casu factum esse, ut Telluris Cererisque dies festi eodem spatio dirimantur, quo Augusto et Decembri Consi Opisque numinum sociatorum feriae.

Iam ut ad alterum exemplum pergam, inter ferias Martio mense deo Marti celebratas excellere notum est Quinquatrus Mart. 19 et Tubilustrium Mart. 23: nam Quinquatrus, quae postea propter aedem Minervae hoc die in Aventino dedicatam huius deae esse putabantur, proprie Martis ferias fuisse recte Mommsenus (C. I. L. I p. 389) praeter alia collegit ex falso Charisii p. 81 veriloquio; qui cum Quinquatruum nomen a ficticio aliquo verbo quinquandi hoc est lustrandi deducat, his feriis lustrationem armorum agi solitam fuisse apparet, quocum consentit quod eodem die Salios Martis sacerdotes tripudiavisse fastorum Praenestinorum aliisque testimoniis constet; Tubilustrii vero diem festum Marti sacrum fuisse et iidem fasti et Laurentius Lydus de mens. IV 42 testantur. celebrantur igitur Tubilustrium feriae Martiae post diem quintum Quinquatrus et ipsas ferias Martias; sed etiam qui dies est ante quintum Quinquatrus, id est idus Martias, antiquitus eidem deo sacratas fuisse persuasum habeo. nam quod Equirria, quibus in honorem Martis ad aram dei in campo sitam equi currebant, secundum calendaria fiebant pridie idus i. e. Mart. 14, iam Mommsenus (l. c. p. 366. 388) monuit praeter feriarum consuetudinem pari mensis die celebrari. sed hoc e posteriore demum mutatione ortum esse et Equirria primitus in ipsas idus incidisse mihi e feriarum quae mense Octobri aguntur comparatione elucere videtur. etenim cum Joachimus Marquardt recte viderit Quinquatrus Mart. 19 et Armilustrium Oct. 19 utrasque armorum lustrandorum ferias ita inter se cohaerere, ut alteris ante bellum initum alteris post expeditionem finitam arma Marti sacrarentur, nemo quod sciam satis animadvertit eadem ratione Equirriis medio Martio mense actis respondere idibus Octobribus antiquum sacrificium, quo equus October Marti immolabatur. utrumque enim sacrum Marti dicatur, utrumque fit in campo ad veterem aram Martis, utroque equi discurrunt curribus iuncti; una re differunt, quod mense Octobri equus bigae victricis dexterior Marti immolatur servatis priscis lustrationum caerimoniis, de quibus praeter Festum p. 178 adeundus est Prellerus myth. Rom. I p. 366 sq. hic cum plerisque recentioribus (cf. inprimis Guil. Mannhardt *Mythol. Forsch.* p. 156 sqq.) in eo erravit, quod Martem veterem terrae agrorumque deum arbitratus hoc sacrificium *ob frugum eventum* fieri

7) Mommsenus (C. I. L. I p. 408) fastorum Praenestinorum fragmenta ita supplevit, ut aedilium mentionem infuisse sumeret, provocans ad testimonium Tertulliani de idol. 10 *flaminicae et aediles sacrificant Cereri; schola honoratur feriis* (sic Gelenius; pro *Cereri schola* in Agobardino legitur *creatis cola*). quod vereor ut recte huc rettulerit; nam idibus Decembribus discipulos feriatos fuisse non magis usquam traditur, quam hoc die flaminicam et aediles sacrificasse. contra scimus omnibus nundinis flaminicam in regia Iovi arietem immolasse (Macr. I 16, 30) et nundinis magistros ludos dimisisse auctor est Varro (sat. Menipp. fr. 279 Buech): itaque ad nundinas hic locus referendus videtur, ex quo id discitur, etiam aediles nundinis sacrificasse. sequitur ut neque Gelenius neque Reifferscheidius (qui legit *aediles sacrificant creati*) Tertulliani verba recte restituerint; ego quid subsit non expiscor.

Paulo p. 220 credidit neque vidit hanc opinionem nihil esse nisi unam e permultis coniecturis plus minusve absurdis, quas ad interpretationem sacri intellectu difficilis grammatici veteres excogitaverunt (Fest. p. 178. Plut. Q. R. 97) indeque solum confictam, quod equi priusquam sacrificaretur collum panibus redimire solebant: quo ex ritu nihil colligi posse quod causam naturamque sacri declaret iam eo patet, quod eadem caerimonia etiam in aliis sacrificiis usu venit, quibus nihil cum frugum eventu esse constat, v. gr. in Vestalibus (Ovid. fast. VI 311; cf. O. Jahn in actis societ. litterar. Saxon. V p. 315). veram autem huius sacri rationem inter veteres ii viderunt, quorum sententiam ita refert Festus, equum *hostiae loco Marti bellico deo sacrari.* ergo quae de Quinquatribus et Armilustrio adnotat Mommsenus l. c. p. 389 *scilicet antiquissima aetate, antequam per hiemem bella continuari coepta essent, comprehendebatur his fere diebus belli tempus lustranturque igitur militum arma et cum promuntur et cum conduntur* eadem integra ad Equirria et equi Octobris sacrum transferre licet. nam equi quoque bellatores et antequam ad bellum exercitus proficiscitur et post reditum deo bellico lustrantur expianturque. quae si recte disputavi, consequens est ut Equirria et sacrum Octobre non minus eodem mensis die constituta fuerint quam Quinquatrus et Armilustrium, et mensis Martii feriae Martiae Equirria Mart. 15, Quinquatrus Mart. 19, Tubilustrium Mart. 23 ita se exceperint, ut singulis singula tridua intericerentur: quod idem in mensis Octobris quoque sacris Martiis idibus et post diem quintum idus celebratis observatur. iam cum septem octove dierum festorum paria invenerimus ita disposita, ut posteriores feriae post diem quintum priorum agerentur, de casu vix iam cogitaveris intellegesque qua ratione factum sit, ut e vetustis dierum nominibus in *-atrus* desinentibus, quae significant quotus numeretur dies aliquis post alium diem certi nominis[8]), in fastis Romanis neque triatrus et sexatrus et septimatrus, ut apud Tusculanos, neque decimatrus, ut apud Faliscos, sed solae quinquatrus supersint, quia videlicet quintorum dierum singularis erat auctoritas. ceterum cur Equirria locum mutaverint et ab idibus in diem praecedentem migraverint, quamvis certam causam adsequi nequeamus, tamen probabile est ideo hoc factum esse, quod idibus Martiis duo praeterea celebrabantur sacra publica, scilicet Idulia Iovis sacra — nam idus ante Caesarem dies fastos fuisse non credo Soltauio annal. philol. CXXXIII 1886 p. 279 sq. — et feriae Annae Perennae, cavendumque esse videbatur ne populus ab his sacris ludorum sollemnitate avocaretur, praesertim cum Annae sacrum extra urbem ad primum lapidem viae Flaminiae agendum esset. de his Annae Perennae feriis qui docte et ingeniose, ut adsolet, commentatus est Hermannus Usener (mus. Rhenan. XXX p. 206 sqq.) non debebat me quidem iudice frivolis Ovidii fabellis (fast. III 675 sqq.) tantum tribuere, ut Annae Martisque in religione Romana aliquam fuisse consociationem putaret Martemque anni deum fuisse inde probare studeret: mihi ut Iovis Martis Annae feriae uno die concurrerent mero casu factum videtur.

8) Vocabuli *quinquatrus* derivationem recte definiunt Varro de l. l. VI 14 et Festus p. 254, in eo solo errantes, quod *triatrus quinquatrus septimatrus* nil nisi post diem tertium, quintum, septimum i d u s significare arbitrantur, cum ea vocabula non minus dies eodem intervallo a kalendis, nonis, quolibet die certi nominis distantes significare posse consequatur ex iis, quae de diei *atri* primaria notione bene monuit O. Gruppe Herm. XV p. 624; cf. etiam Useneri nota mus. Rhen. XXX p. 222 n. 6.

III

Sollemne equi sacrificium idibus Octobribus actum quin inter antiquissima populi Romani sacra publica fuerit in tanta caerimoniarum prisca vetustate vix erit qui in dubitationem vocare velit. eo magis miramur in hemerologiorum notationibus litteris maioribus perscriptis huius sacri nullam fieri mentionem, cum Equirria, quas ferias ad eandem aetatem recedere probabile est, ibidem commemorentur. huius rei non aliam causam fuisse suspicor quam quae effecit, ut ne Annae Perennae quidem feriae in his indicibus perscriberentur, sed e solis adnotationibus, quae in fastis Vaticanis Farnesianisque adpictae sunt, et e scriptorum testimoniis innotuerint. uterque scilicet dies, et Annae Perennae et equi Octobris, iam suum nomen gerebat, cum idus essent; hemerologiorum vero cum non ea esset ratio, ut in usum sacerdotum plenam darent tabulam omnium quae singulis diebus celebranda essent sacrorum, sed populo destinata in civium conspectu ponerent singulorum dierum et nomina et condicionem — quod consilium in talibus fastis quales Maffeiani supersunt maxime conspicitur —, si quando complures feriae uno die concurrebant, omnes enotare non solum non opus erat, sed ne opportunum quidem, quoniam ex quo sacro dies nomen duceret ita non perspicuum fuisset et magnae evenissent turbae. itaque quae in idus Iovis ferias incidebant feriae aliorum deorum non perscribebantur in ipso dierum festorum laterculo, nonnumquam vero in adnotationibus liberae reipublicae aetate veteri tabulae additis, quales in hemerologiis superstitibus leguntur minoribus litteris exaratae, locum invenerunt. quodsi igitur ad idus Martias in fastis Vaticanis adscribitur *feriae Annae Perennae via Flam(inia) ad lapidem prim(um)*, hoc nolim cum Mommseno (C. I. L. I p. 375) ita solvere, ut primitus scriptum fuerit *feriae Iovi. sacrum Annae Perennae* idque quadratarius confuderit, sed feriarum Iovis mentionem, ut quae omnibus idibus recurrant, ut plerumque in hemerologiis omissam esse, solas Annae indicatas; nam has non minus ferias fuisse publicas quam Iovis ex Macrobii I 12, 6 Lydique de mens. IV 36 testimoniis patet. consimilis est ratio eius diei, qui est X kal. Ian. et vocatur in fastis *LARENT(alia)* a sacro Larentae sive Larentinae, cui eo die parentabatur per sacerdotes publicos; eodem enim die Iovis ferias fuisse et fasti Praenestini adnotant et Macrobius auctor est I 10, 11: quomodo igitur fieri potuerit, ut sacrum parentale ad inferos pertinens idem celebraretur Iovi deo caelesti iure cum Mommseno[9]) miraremur, nisi mero casu factum esset, ut numinum nullo cognationis vinculo iunctorum feriae in unum diem concurrerent[10]). tertium eiusdem rei exemplum offerunt L i b e r a l i a Mart. 17, de quo die haec refert Masurius Sabinus fastorum libro secundo (laudatus ille quidem a Macrobio I 4, 15): *Liberalium dies a pontificibus agonium Martiale appellatur.* iam cum Liberi Martisque ullam fuisse in ipsa veneratione societatem nemo dum contenderit, utrumque autem sacrum inter ferias publicas numerandum esse iam e nomine pateat, hic quoque tenemus duas ferias per casum uno die coniunctas,

9) *Röm. Forsch.* II p. 4: *wie dies individuelle Todtenfest zugleich ein Fest des Gottes des Lichtes und Lebens, des Jupiter ist, dieser Räthsel Wort ist wohl auf immer verschollen.*

10) Hoc recte vidit etiam Th. Zielinski, Quaest. comic. p. 119 n. 1.

qui in fastis ex alteris nomen accepit; nam in fastis Maffeianis et Farnesianis diei significatio sola est *LIBER(alia)*, cum in hemerologiis Vaticano et Caeretano (C. I. L. XI 3592) post hoc nomen addatur *AGON(ium)* sive *AG(onium)*[11]: sed illam rationem communem fastorum usum reddere discere licet e Varrone de l. l. VI 14, qui Liberalium nomen e fastis, Agonii e libris Saliorum Agonensium citat, itaque hoc alterum in fastis non legit; et consentaneum est in plerisque hemerologiis solum diei nomen extitisse — nam qui diem Mart. 17 commemorant auctor belli Hispaniensis (c. 31) et Cicero (epist. XII 25, 1; ad Attic. XIV 10, 1) Liberalia nominant —, sacri vero Martialis mentionem et in pontificum commentariis et in eorum sacerdotum libris, quorum primariae in eo sacrificio partes erant. cur vero non ab Agonio sed a Liberalibus dies nomen acceperit in propatulo est, cum iteratus eiusdem nominis usus confusionem fastorum minaretur, Agonii autem nomen ter praeterea in anni tabula occurrat Ian. 9 Mai. 21 Dec. 11. horum dierum ultimo praeter Agonium celebrantur feriae Septimontium vocatae, quae in fastis non leguntur, non ob eam causam ob quam equum Octobrem Oct. 15 et Annae Perennae ferias Mart. 15 et Agonium Martiale Mart. 17 et Iovis ferias Dec. 23 desiderari dixi, sed quia e duobus sacrorum publicorum generibus, quae discerni videmus a Verrio Flacco (Fest. p. 245), in fastis non indicantur nisi quae publico sumptu pro populo fiunt, excluduntur quae pro montibus pagis curiis sacellis, veluti Septimontium Paganalia Fornacalia Argei. itaque non adstipulor Mommseno (*Röm. Staatsrecht* III p. 114) Septimontii ferias sub Agonalium nomine iam in veteribus Numae fastis commemoratas fuisse, neque fieri posse arbitror, ut e Septimontii caerimoniis ab Antistio Labeone descriptis (Fest. p. 348 cf. 340. 341) de nomine dei hoc Agonio celebrati aliquid discamus; quod e fastorum Amiterninorum apicibus AG·IN Mommsenus (C. I. L. I p. 408) elicere conatus est *Ag(onia) In(ui)*, iam eam ob causam reiectaneum videtur, quod *Inuus* non nomen dei est sed cognomen, cui in sobrio fastorum sermone non magis locus est quam vocibus quales sunt Lucetius Gradivus Mulciber aliae similes: mihi, cum in calendariorum partibus maiore litteratura exaratis numquam accidere videam, ut inter feriarum nomen et diei notam (**NP**) inseratur significatio dei, cui ei feriae celebrantur, illud AG·IN mero quadratarii errore ex AGON natum esse persuasum est: cui ergo deo Septimontii die pro populo sacrificatum sit nesciendum erit.

Quod in sacrificio equi Octobris et in sacro Annae Perennae vidimus, deorum ferias in idus incidentes diei nomen non dedisse, hoc idem etiam in kalendas cadere Martiarum kalendarum exemplo inlustratur, quae solae ex omnibus kalendis **NP** notam gerentes

11) *Agonia* sive *Agonalia* formae, quas praebent Varro de l. l. VI 12. 14, Paulus p. 10, Ovidius fast. I 317 sqq., nulla auctoritate nituntur, sed ad exemplum Lucarium Feralium aliorum fictae sunt: nam de hoc nomine nihil compertum fuisse nisi quod ex fastorum compendio AGON elici poterat insanae quas scriptores illi proferunt nominis interpretationes ostendunt. inter quas reliquis minime praestat ea, quae Agonalia a verbo apparitoris sciscitantis caedine hostiam oporteret *agone?* deducit, quam velim non videretur probare vel Buechelerus Umbric. p. 30. re vera unica quae extabat nominis forma fuit *agonium* h. e. sacrificium (cf. Mommsen C. I. L. I p. 383) a voce **ago*, quae a sollemni agendi verbo eadem ratione derivatur qua *edo* ab edendo, non aliter descendens atque a praecone *praeconium.*

se antiquitus feriatas fuisse indicant[12]); et adnotant fasti Praenestini Martis ferias esse narratque Lydus (de mens. III 15. IV 29) his kalendis Salios arma movisse: qui dies cum certe in libris pontificum Saliorumque suo nomine non magis caruerit quam Equirria Agonium Martiale Quinquatrus Tubilustrium, hoc nomen in fastos non receptum in communi notitia interiit. prorsus eadem ratione kalendarum Iuniarum nomen alias obscuravisse videtur ferias antiquas. Carnae videlicet deae sacrum publicum, quod fastis Numae recentius esse minime inde colligi potest, quod Macrobius I 12, 31 huius sacrificii originem a L. Iunio Bruto Tarquiniorum expulsore deducit; quod cum e sola mensis Iunii Iuniaeque gentis comparatione ortum esse pateat, contra sacri vetustatem nil efficit, praesertim cum fastorum interpretes etiam alias indubitatae antiquitatis ferias non modo ad regum expulsionem sed vel ad obsidionem Gallicam referant. priscas has ferias esse et ex ritu sacrificii apparet et inde quod kalendae Iuniae a pultis fabatae sacro Carnae oblato in volgi ore fabariarum nomen retinuerunt vel usque ad quartum p. Chr. saeculum, quo ludos deae editos esse Philocalus testatur (C. I. L. I p. 394): denique vel ipsum feriarum nomen, quamvis in hemerologiis non perscriptum, casu servatum est, siquidem recte Mommsenus in testamento Emonensi C. I. L. III 3893, ubi praescribitur *uti rosas Carnar(iis) ducant*, Carnariorum nomine kalendas Iunias indicari intellexit. est autem hoc testamenti praeceptum maximi pretii ideo, quod docet Carnae diem simili ratione ad deorum inferum religionem spectavisse qua Parentalia Rosalia similiaque sollemnia, quibus dis Manibus inferias offerre moris erat testatoresque praecipere solent (cf. Marquardt *Röm. Staatsverw.* III p. 311 sq.), idemque e fabarum sacrificio patefit, quarum in sacris feralibus usum nuper docte inlustravit O. Crusius mus. Rhen. v. XXXIX p. 164 sqq. iam igitur intellegitur cur kalendae Iuniae inter dies nefastos tristes nota **N** addita referantur, quod idem Februariis quoque Iuliis Octobribus Decembribus kalendis accidere videmus. atque in kalendis Februariis, cuius mensis prior pars tota lustrationibus addicta est (cf. Mommsen C. I. L. I p. 386) hoc explicatione non eget, in Iuliis Decembribusque, quamvis cur nefastae tristes sint nunc declarare non valeamus, non ita offendit, quia sequentes quoque dies (Iul. 1—3. 6—9. Dec. 1—3) eandem notam gerunt. kalendae vero Octobres inter medios dies fastos comitialesque nefastae hanc indolem, nisi omnia fallunt, traxerunt e Tigilli Sororii expiatione quotannis hoc die in Esquiliis facta; quod sacrificium cum posteriores propter Iunonis Sororiae Ianique Curiatii cognomina cum volgata de Horatiorum Curiatiorumque certamine et de Horatio sororicida fabula coniunxerint, certe tam vetustae originis erat, ut in fastis Numae perscriptum legi consentaneum esset, nisi diei nomen iam kalendae occupavissent. ipsum sacrum kalendis ad ianum viae superpositum[13]) Iano et Iunoni factum pertinere videtur ad eandem religionem, qua haec numina omnibus kalendis in sacrificiis coniuncta

12) Nisi forte cum Soltauio (annal. philol. CXXXVII 1888 p. 834 n. 7) sumere mavis, hunc quoque diem a Caesare demum inter nefastos hilares receptum esse; cuius sententiae ego quidem nullam video rationem.

13) Nihil enim aliud illud *tigillum* fuisse recte vidit O. Gilbert *Gesch. und Topogr. der Stadt Rom* I p. 178 sqq., qui tamen multa falsissima admiscet.

esse narrat Macrobius I 9, 16 et 15, 19. itaque hoc quoque sacrum sicut Carnaria et reliqua quae ante memoravi, quamquam in hemerologiorum partibus antiquissimis non indicantur, addendum erit feriarum anni Romanorum vetustissimi tabulae a Mommseno C. I. L. I p. 375 compositae.

IV

Volcanum quod infestum deum supra (p. VII) dixi paucis in fine commentationis explicare iuvabit. persuasum enim habeo Volcani religionem Romanam sinceram ab ***Ἡφαίστου*** graeca eo diversam fuisse, quod non aliam ob causam deum publice venerabantur nisi ut eo placato et favente noxia incendiorum vis, cui ipse praeesse credebatur, propelleretur: cuius rei et aedes dei extra pomerium conlocata documentum est — nam recte hoc eo consilio factum esse ait Vitruvius I 7, 1 *ut Volcani vi e moenibus religionibus et sacrificiis evocata ab timore incendiorum aedificia videantur liberari* — et sacra ab Augusto et Domitiano imperatoribus *incendiorum arcendorum causa* ipso Volcanalium die Aug. 23 instituta [14]) et dedicationes a magistris vicorum (C. I. L. VI 801. 802) aut a vigilibus (C. I. L. VI 798) factae. neque infensa dei natura non agnoscitur, cum Volcanalibus per pisces vivos in ignem coniectos placatur (Fest. p. 238. Varro de l. l. VI 20) ipseque inter ea numina primum locum tenet, quibus post victoriam spolia hostium cremari fas est; quo de ritu valde errat Prellerus myth. Rom. II p. 152 sq. haec adnotans: *es sei denn dass auch dabei das Bild des göttlichen Waffenschmiedes im Spiele war, wenigstens sind es immer Waffen, welche dem Vulcan bei solchen Gelegenheiten geweiht werden.* Volcanum enim in vetusta Romanorum religione pro fabro ferrario et armorum artifice habitum esse omnino negandum videtur, quamvis haec opinio omnium fere virorum doctorum, e quibus unum dubitare video Jordanum (ad Prelleri myth. Rom. II p. 148 n. 4), consensu sanciatur. qui duobus nituntur argumentis, Mulciberi cognomine et Tubilustrii feriis Mai. 23 Volcano tubarum fabricatori, ut putant, celebratis. sed ***Mulciberum*** dictum esse qui ferrum molliat contra consuetudinem linguae latinae, quae verbum mulcendi ita adhibere nescit, suspicati sunt grammatici veteres (Paul. p. 144, quocum cf. Macr. VI 5, 2. Serv. Aen. VIII 724); immo haec vox eadem ratione formata qua *faber*, *candelaber*, deum significat qui ignem mulceat, sicuti apud Vergilium Aen. I 66 Aeolus dicitur fluctus mulcere: cui igitur dedicatur titulus Brixiensis C. I. L. V 4295 *Volk(ano) miti sive mulcibero* idem intellegitur atque *Volcanus quietus*, quem Romae una cum Stata matre venerantur magistri vicorum (C. I. L. VI 802). T u b i l u s t r i u m vero X kal. Iun. Volcani ferias esse ego ne fastorum quidem Venusinorum et Amiterninorum adnotationi crediderim, nedum persuadeat Ovidius fast. V 725 dicens *Proxima Volcani lux est; tubilustria dicunt: Lustrantur purae, quas facit ille, tubae.* nam ut

---

14) De priore sacro vide quae Herm. XXVI p. 141 n. 1 et supra p. VII adnotavi, alterum testatur titulus urbanus in colle Quirinali repertus C. I. L. VI 826, de quo conferendus est R. Lanciani *Bull. arch. com.* XVII 1889 p. 331 sqq. qui idem verissime monuit (*Notiz. d. scavi* 1880 p. 475) cultum Volcani Ostiensem eo consilio institutum esse, ut deus ignem ab horreis et navalibus defenderet.

Ovidii auctoritas satis infirma est, ita vereor ut recte Mommsenus illis fastorum interpretamentis, quibus feriarum nominibus dei celebrati mentio additur, summam et vetustatem et fidem tribuerit [15]), cum potius e doctrina eorum, qui de fastis commentati sunt, profecta quamquam saepe pretiosissima sunt [16]), tamen nonnumquam verum non adsecuta esse videantur. Tubilustrii vero Maio mense acti explicationem disiungi non posse a priore Tubilustrio (Mart. 23) non solum e nominum concentu patet — satis enim absurdum esset duorum dierum eodem nomine signatorum [17]) alterum Marti alterum Volcano celebrari duorumque Tubilustriorum aliam esse rationem atque duorum Equirrium, Vinalium, Consualium — sed maxime inde, quod utriusque diei sacrificium idem fuisse testatus est Verrius Flaccus (Paul. p. 353 *tubilustria dies appellabant, in quibus agna tubas lustrabant*) et utrumque sequitur dies nota **Q· R· C· F** conspicuus: quorum significatio quamquam in incerto posita est (v. Mommsen chronol. Rom. p. 241 sqq.), tamen ipsorum cum Tubilustriis conexus haec ad diversos deos pertinere non posse demonstrat. cum vero prius Tubilustrium Marti celebrari constet (v. supra p. IX), Salii vero Martis sacerdotes et cum tubicinibus sacrorum p. R., qui tubilustria agebant, arte coniuncti sint — nam tubarum in sacris Saliaribus usum multis testimoniis cognitum habemus [18]) — et diebus quoque nota **Q· R· C· F** insignibus secundum locum Festi p. 278 misere lacerum sacrificio interfuisse videantur, mihi etiam alterum Tubilustrium non Volcano sed Marti convenire videtur et ad illum translatum ab interprete, qui Volcanum arma tubasque fabricari e g r a e c i s fabulas noverat: re vera ne posteriore quidem aetate tubicinum patronus fuit Volcanus, sed artificum fautrix Minerva, cui anno p. Chr. 229 in Pannonia superiore titulum dedicat *scola tubicinum* (Ephem. epigr. IV 503). ceterum in fine hoc quoque adnotare placet, ne foci quidem domestici ignem primitus apud Romanos in Volcani custodia fuisse; nam si Caeculus oppidi Praenestini conditor a matre propter focum conceptus Volcani filius vocatur ut ab aliis ita a Catone (apud Schol. Veron. Aen. VII 681) idemque nonnulli de Servio Tullio adfirmant, cum hic ab aliis Lare familiari satus dicatur, hoc alterum certe sinceram fabulae Italicae formam servavit posteaque demum in Laris locum Volcanus successit (v. Schwegleri hist. Rom. I p. 714 sqq.): quod ad exemplar graecae religionis factum esse inde patefit, quod Vestae foci deae primum Volcanus coniungitur in lectisternio a. u. 537 celebrato (Liv. XXII 10, 9).

---

15) *Röm. Forsch.* II p. 3 n. 3: *in den u r a l t e n die Gottheiten der benannten Festtage angebenden Beischriften des Kalenders.*

16) Ita Meditrinalia I o v i s ferias fuisse solae hemerologiorum adscriptiones demonstrant, cum grammatici (Paul. p. 123) e diei nomine sibi confinxerint Meditrinam deam, quae nulla umquam fuit.

17) Agonia quattuor hic non venire in censum ex iis quae supra p. XII n. 11 disputavi elucet.

18) Paul. p. 19 *armilustrium festum erat apud Romanos, quo res divinas armati faciebant ac, dum sacrificarent, tubis canebant;* cf. praeterea Lyd. de mens. IV 27, Calpurn. ecl. I 68 et anaglyphum ab Ernesto Schulze inlustratum (*Alte Handzeichnung eines Reliefs mit Darstellung eines Salierumzuges* St. Petersburg 1873), ubi Salios praecedunt tubicines laureati.

I. LECTIONES THEOLOGORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

GEORGIUS HEINRICI, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., Augustissimo Regi a consiliis ecclesiasticis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim a) Pauli apostoli epistulam ad Galatas datam* interpretabitur die Saturni h. VIII—X, *b) Novi Testamenti theologiam biblicam* tradet quinquiens per hebd. h. IX; 2) *publice capita selecta ex archaeologia christiana adhibitis demonstrationibus* delineabit die Lunae h. V; 3) *privatissime* et *gratis* seminarii theologici *exercitationes ad Novum Testamentum spectantes* moderari perget die Iovis h. VI—VIII.

GUILELMUS HERRMANN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., seminarii theologici Philippini ephorus, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice* in seminario theologico *exercitationes dogmaticas* moderari perget; 2) *privatim a) theologiam symbolicam* docebit quinquiens h. XI, *b) dogmatices partem priorem* docebit quinquiens h X.

WOLF GUILELMUS COMES DE BAUDISSIN, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) librum Geneseos* interpretabitur quater per hebd. h. X, *b) introductionem in libros Veteris Testamenti* tradet quater per hebd. diebus Martis Mercurii Iovis Veneris h XII, 2) *publice* seminarii theologici *ad Vetus Testamentum spectantes exercitationes* moderari perget die Lunae h. VI—VIII.

ERNESTUS CHRISTIANUS ACHELIS, theol. Dr. et P. P. O., ordinis theologorum h. a. decanus, 1) *publice exercitationes* seminarii theologici *homileticas* die Mercurii, *catecheticas* die Veneris h. III—V pomer. moderabitur; 2) *privatim a) artem catecheticam atque homileticam* quinquiens h. VII antemer., *b) epistulas primam Petri primamque Ioannis apostoli* homiletice interpretabitur diebus Lunae, Martis, Iovis h. VIII antemer.

ADOLPHUS IUELICHER, theol. et phil. Dr., theol. P. P. O., 1) *privatim a) historiae ecclesiasticae partem alteram (ab a. 600 usque ad 1517)* narrabit quinquiens per hebd. h. VIII, *b) evangelii secundum Matthaeum inscripti capita I—XXV* interpretabitur quinquiens per hebd h. IX: 2) *publice evangelii sec. Matth. inscripti capita XXVI—XXVIII* interpretabitur die Saturni h. XI.

CAROLUS MIRBT, theol. Lic. et P. P. O., 1) *a) privatim historiae ecclesiasticae partem primam (usque ad a. 600)* enarrabit quinquiens per hebd. h. VIII, *b) historiam ecclesiae romano-catholicae XIX. saeculi* tractabit bis per hebd. die Lunae h. VI—VIII; 2) *publice* seminarii theologici *exercitationes historicas* moderari perget Veneris die h. VI—VIII.

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

IOANNES WERNER, theol. Lic. et phil. Dr., 1) *privatim de christologiae usque ad nostram aetatem historia* disseret bis per hebd. diebus Lunae et Iovis h. V; 2) *privatissime repetitorium et examinatorium historiae dogmatum* bis per hebd.

instituet diebus Mercurii et Veneris h. VIII; 3) *gratis quid de recentiorum scriptis, vitam Iesu enarrantibus, sit iudicandum*, exponet die Mercurii h. V.

BERNHARDUS BESS, theol. Lic., seminarii Philippini maior, tractabit *privatim Martini Lutheri doctoris vitam et theologiam* bis per hebd. diebus Lunae et Iovis h. IV pomeridiana.

II. LECTIONES IURECONSULTORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

AUGUSTUS UBBELOHDE, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, Aug. Principi ab intimis iustitiae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, ordinis iureconsultorum h. a. decanus, 1) *publice Gai institutionum commentarium quartum interpretandum* proponet in sem. iurid. die Merc. h. XII; 2) *privatim a) institutiones iuris Romani* docebit quinquiens h. XI, *b) historiam processus civilis apud Romanos* tractabit diebus Lunae et Iovis h. XII; 3) *privatissime selecta e pandectis fragmenta interpretanda* proponet in seminario iuridico die Martis h. VI — VIII.

LUDOVICUS ENNECCERUS, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice ius familiae* docebit die Mercurii h. XI; 2) *privatim a) historiam iuris Romani* tractabit quinquiens per hebd. h. XII, *b) ius hereditarium Romanum* quater per hebd. h. XI; 3) *privatissime* in seminario iuridico *a) examinatorium iuris Romani* instituet diebus Lunae et Iovis, *b) practicum de iure pandectarum* die Mercurii h. VI—VIII.

IUSTUS BERNARDUS WESTERKAMP, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *publice ius cambiale* docebit semel h. XI; 2) *privatim a) ius Germanicum privatum cum iure feudali ratione novi codicis Germanici habita* sexiens h. VII, *b) ius mercatorium* quinquiens h. VIII.

CAROLUS DE LILIENTHAL, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice de ordine iudiciorum imperii Germanici* disseret die Mart. h. IV; 2) *privatim a) processum imperii Germanici civilem* docebit *(ratione concursus creditorum non habita)* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. IX, item *b) criminalem* diebus Mart. Merc. Iov. Ven. h. X, *c)* in seminario iuridico *practicum de iure criminali* instituet die Ven. h. VI—VIII.

RUDOLPHUS LEONHARD, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordin., 1) *privatim a) collocutiones de iure privato Borussico* instituet ratione habita libri sui, cui titulum inscripsit: *„Rechtsfälle zum vergleichenden Studium des römischen Rechts und des preussischen Landrechts“.* (Leipzig. Veit & Co. 1887) die Martis et Ven. h. XII, *b) pandectarum doctrinam excepto iure hereditario et iure familiae* docebit *ratione novi codicis Germanici habita* quater h. V— VII p. m., *c) elementa iurisprudentiae* docebit diebus Mercurii et Saturni h. V—VII p. m.; 2) *publice de novo codice iuris privati Germanico* disseret die Iovis h. III.

HENRICUS LEHMANN, I. U. Dr. et P. P. O., facult. iurid. assessor ordinarius, 1) *publice legem Salicam aliosque iuris Germanici fontes* interpretandos offert die Mercurii h. IX; 2) *privatim a) iuris Germanici historiam* tradet diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. X, *b) ius ecclesiasticum atque ius matrimonii* docebit iisdem diebus h. XI, *c) collocutiones habebit de iure Germanico privato, de iure mercatorum deque iure cambiali.*

2. PRIVATIM DOCENTIUM.

FRIDERICUS VICTOR SCHMIDT, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

BERNARDUS FRIDERICUS IULIUS WOLFF, I. U. Dr., Augustissimo Principi a consiliis iustitiae, in tribunalibus quae Marpurgi florent causarum procurator, notarius regius publicus, quid praelecturus esset non indicavit.

LUDOVICUS LASS, I. U. Dr., tribunalis regii assessor Borussicus, 1) *gratis de legibus socialibus et politicis imperii Germanici* disseret die Lunae h. IV; 2) *privatim a) ius assecurationis et ius maritimum* docebit Martis et Iovis dd. h. IX, *b) de concursu creditorum* disseret diebus Martis et Iovis h. VIII; 3) *privatissime exercitationes practicas de iure eo quod pertinet ad processum civilem* moderabitur in seminario iuridico die Lunae h. IX—XI.

FRIDERICUS WACHENFELD, I. U. Dr., 1) *privatim ius criminale* docebit diebus Lunae, Martis, Iovis, Veneris h. V; 2) *privatissime* in seminario iuridico *conversatorium de processu criminali* instituet die Saturni h. IX—XI.

III. LECTIONES MEDICORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

HERMANNUS NASSE, med. et phil. Dr., physiologiae P. P. O., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis aquilae rubrae Boruss. II. cl. et coronae Boruss. II. cl. eques, 1) *publice de praecipuis corporis humani functionibus* semel h. VI p. m. cum auditoribus sermones habebit; 2) *privatim physiologiam generalem* binis scholis h. VI p. m. docebit.

AEMILIUS MANNKOPFF, med. Dr., pathologiae et therapiae spec. P. P. O., instituti clin. med. director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, ordinum aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco et coronae Boruss. IV. cl. eques, Saxon. Ernest. II. cl. commendator, 1) *publice examinatorium de rebus clinicis habendum* offert semel p. hebd.; 2) *privatim pathologiam et therapiam specialem* quater p. hebd. h. VI—VII et dimid. docebit; 3) *privatissime clinicen medicam* ab h. X et dimid. ad XII moderabitur.

HENRICUS CRAMER, med. Dr., psychiatriae P. P. O., instituti psychiatrici director, Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordin. aquilae rubrae IV. cl. eques, ordin. Saxon. Ernest et leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, 1) *publice studia practica in psychiatria forensi* binis horis moderabitur; 2) *privatissime clinicen psychiatricam* moderabitur bis p. hebd. hor. V—VII.

EDUARDUS KUELZ, med. et phil. Dr. et med. P. P. O., instituti physiologici director, ordinum coronae III. cl., aquilae rubrae IV. cl. eques, leonis Zaring. Badensis II. cl. commendator, ordinis medicorum h. a. decanus, 1) *publice* offert *selecta physiologiae capita* semel per hebd.; 2) *privatim a) physiologiae experimentalis alteram partem* quinquiens p. h. h. XI docebit, *b) chemiam physiologicam* quater p. h. h. XII tractabit; 3) *privatissime exercitationes physiologicas* ter p. hebd. diriget.

FRIDERICUS AHLFELD, med. Dr., artis obstetriciae P. P. O. et instituti clinici obstetricii et gynaecologici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. et Albertini Saxonici I. cl. eques et cruce Ruthen. civ. II. cl. decoratus, 1) *publice demonstrationes et obstetricias et gynaecologicas* moderabitur semel per hebd.; 2) *privatim a) de morbis mulierum* binis scholis h. IV disseret, *b) clinicen artis obstetriciae propaedeuticam* moderabitur ternis scholis h. VII et XII; 3) *privatissime clinicen obstetriciam* moderabitur quater per hebd. h. VII.

FELIX MARCHAND, med. Dr., pathologiae generalis et anatomiae pathologicae P. P. O., instituti pathologico-anatomici director, cruce ferrea decoratus, 1) *publice anatomiam pathologicam ossium* docebit die Saturni h. IX et dimid.; 2) *privatim anatomiam pathologicam organorum circulationis, respirationis, digestionis et organorum uropoeticorum* tradet quinquiens per hebd. h. IX et dimid.; 3) *privatissime cursum practicum histologiae pathologicae* instituet diebus Lunae Mercurii Iovis h. II—IV.

AEMILIUS GASSER, med. Dr. et P. P. O., instituti anatomici director, 1) *publice rationem inquisitionum histologicarum et embryologicarum* docebit una cum Strahlio prof.; 2) *privatim a) anatomiam topographicam* tradet quater per hebd., *b) histologiam* docebit diebus Martis, Mercurii, Veneris h. X; 3) *privatissime exercitationes microscopicas* una cum Wagenero, Strahlio proff. in usum et tironum et provectiorum quaternis horis moderabitur

IOANNES MEYER, med. Dr., pharmacologiae P. P. O., instituti pharmacologici director, 1) *publice investigationes* moderabitur in laboratorio pharmacologico; 2) *privatim pharmacologiam* tradet quinquiens h. X; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes practicas* reget bis per hebd.

MAXIMILIANUS RUBNER, med. Dr., hygienes P. P. O., instituti hygien. director, 1) *publice* reget *investigationes hygienicas;* 2) *privatim a) hygienen publicam* die Ven. h. IV, *b) hygienes partem II* docebit quater per hebd. h. IV; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio moderabitur d. Martis et Iovis h. II—IV.

ERNESTUS KUESTER, med. Dr., chirurgiae generalis et specialis P. P. O., instituti clinici chirurg. director, Augustissimo principi ab intimis rerum medicarum consiliis, praetorius militiae ad patriam defendendam evocatae medicus superior primi ordinis, cruce ferrea decoratus, aquilae rubrae IV. cl. et coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *publice de renum morbis chirurgicis* semel per hebd. h. VI disseret; 2) *privatim aciurgiam part. II* docebit bis per hebd. h. V; 3) *privatissime a) clinicen chirurgicam* moderabitur quinquiens per hebd. h. VIII—IX et dimid., *b) operationum in cadaveribus cursum* offert ter per hebd. h. V.

GUILELMUS UHTHOFF, med. Dr., ophthalmologiae P. P. O., instituti clin. ophthalmol. director, 1) *publice morbos oculi qui corpore aegrotante incidunt* docebit semel per hebd. die Saturni h. XII; 2) *privatim a) clinicen ophthalmologicam* moderabitur ter per hebd. h. XII diebus Martis et Iovis, h. X et dimid. die Saturni, *b) cursum practicum ophthalmoscopiae* habebit ter per hebd. die Lun., Mercur. et Vener. h. XII.

GUIDO WAGENER, med. Dr. et P. P. O. H., Augustissimo Principi ab intimis rerum medicarum consiliis, ordinis coronae III. cl. eques, *privatissime exercitationes microscopicas* una cum Gassero, Strahlio proff. diebus Martis, Mercurii, Iovis, Veneris h. IV moderabitur.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

HENRICUS LAHS, med. Dr. et P. P. E., ordinis coron. IV. cl. eques, cruce ferrea decoratus, 1) *publice repetitorium morborum mulierum* semel per hebd. instituet; 2) *privatim theoriam artis obstetriciae* quinis scholis docebit; 3) *privatissime operationes obstetricias* horis definiendis demonstrabit.

THEODORUS RUMPF, med. Dr. et P. P. E., instituti policlinici medici director, 1) *publice therapiam generalem* disseret semel h. VI; 2) *privatim a) policlinicen medicam* reget ter h. XII bis h. IX et dimid., *b) propaedeuticen clinicam, praecipue methodologiam ad morbos dignoscendos respicientem* habebit quinquiens h. III, *c) electrodiagnosticen et electrotherapiam* tradet bis p. h.

IOANNES STRAHL, med. Dr. et P. P. E., 1) *publice rationem inquisitionum histologicarum et embryologicarum* docebit una cum Gassero prof.; 2) *privatim a) osteologiam et syndesmologiam* tradet diebus Martis, Mercurii, Veneris h. XI, *b) anatomiam organorum sensuum* docebit diebus Lunae, Iovis h. X.

ADOLFUS BARTH, med. Dr. et P. P. E., instituti oto-rhino-laryngologici director, 1) *publice inquisitionem systematicam auris sanae et aegrotae* tradet die Ven. h. IV; 2) *privatim clinicen oto-rhino-laryngologicam* moderabitur diebus Mercur. et Ven. h. IX et dim.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

VICTOR HUETER, med. Dr., ordinis coronae Boruss. IV. cl. eques, 1) *gratis examinatorium et repetitorium de rebus obstetriciis* semel p. h. instituet; 2) *privatim exercitationes practicas in arte obstetricia* bis demonstrabit.

THEODORUS OTTO DE HEUSINGER, med. Dr., 1) *privatim de morbis cutis* disseret ternis scholis h. VII matut.; 2) *privatissime cursum vaccinationis* habebit.

FRANCISCUS TUCZEK, med. Dr., 1) *gratis de vesaniae natura* disseret die Martis h. III; 2) *privatim psychiatriam propaedeuticam* docebit die Saturni h. II—IV.

OTTO ERNESTUS DE BUENGNER, med. Dr., 1) *gratis orthopaediam chirurgicam* docebit die Lunae h. XII; 2) *privatim a) clinicen chirurgiae propaedeuticam* moderabitur quater per hebd. h. XII, *b) de fracturis et luxationibus* disseret semel per hebd. h. VIII—IX et dimid.

IULIUS WITZEL, instituti odontiatrici director, 1) *publice de dentium origine et abnormitatibus* aget semel per hebd.; 2) *privatim a) clinicen odontiatricam cum dentium et extrahendorum et plumbandorum exercitationibus* moderabitur sexiens per hebd., *b) cursum odontiatricum technico-practicum* instituet sexiens per hebd., *c) cursum odontiatricum practicum medicinae studiosis* offert. *d) pathologiae et therapiae morborum dentium et oris alteram partem* bis per hebd. docebit.

IV. LECTIONES PHILOSOPHORUM.

1. PROFESSORUM ORDINARIORUM.

FRIDERICUS LUDOVICUS STEGMANN, phil. et med. Dr., math. P. P. O., ordinis aquilae rubrae III. cl. cum lemnisco eques, quid praelecturus esset non indicavit.

IOANNES CAROLUS GLASER, phil. Dr., scient. polit. et cam. P. P. O., 1) *publice doctrinae politicae saeculi XIX principia* delineabit semel per hebd. die Merc. h. IX; 2) *privatim redituum publicarum theoriam et administrationem* docebit quater per hebd. diebus Lun. Mart. Iov. Ven. h. IX.

LEOPOLDUS SCHMIDT, philos. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, Augustissimo Principi ab intimis reipublicae regundae consiliis, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice a)* proseminarii philologi sodalibus *Taciti dialogum de oratoribus* interpretandum proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur die Lunae h. VI—VIII, *b) de veterum Graecorum notionibus quae ad mores spectant* dissseret diebus Mercurii et Saturni h. XI; 2) *privatim grammaticae Graecae partem secundam* tradet diebus Lunae, Martis, Iovis h. XI.

FRANCISCUS AEMIL. MELDE, phil. Dr., physices et astronomiae P. P. O., instituti mathematico-physici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, philosophorum ordinis h. a. decanus, 1) *publice repetitorium et examinatorium de rebus physices experimentalis* instituet die Sat. h. VIII; 2) *privatissime exercitationes physicas practicas* una cum Feussnero prof. moderabitur h. II—V quaternis diebus; 3) *privatim physices experimentalis primam partem ad phaenomena mechanicae et lucis spectantem* leget quinquiens h. VIII.

FERDINANDUS IUSTI, phil. Dr., grammatices comparatae et philologiae Teutonicae P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice linguam Sanscritam* docebit dieb. Lunae, Mart., Iovisque h. VIII; 2) *privatim linguarum Sanscritae, Graecae, Latinae, Theotiscae leges comparatione grammatica illustrabit* quinquiens h. IX; 3) *privatissime* et *gratis linguae Persicae elementa* tradet dieb. Mercur. et Veneris h. VIII.

FRID. ED. GUIL. IULIUS BERGMANN, philos. Dr. et P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes philosophicas* moderabitur; 2) *privatim propaedeuticen philosophicam i. e. elementa metaphysices, psychologiae, logices, ethices* docebit ter per hebd. h. IV.

RICARDUS GREEFF, med. et phil. Dr., zoologiae et anatomiae comparatae P. P. O., instituti zoologico-zootomici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, Christi ordinis Lusitanici cum stella commendator, 1) *publice examinatorium et conservatorium de rebus zoologicis* offert semel d. Iov. h. IV; 2) *privatim zoologiam et anatomiam comparatam animalium invertebratroum* docebit quinquiens h. III; 3) *privatissime exercitationes zoologicas et microscopicas* ternis scholis diriget h. IV.

IULIUS WELLHAUSEN, theol. et phil. Dr., linguarum Semiticarum P. P. O., ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice selecta Corani capita* bis p. h. h. XII; 2) *privatim librum Psalmorum* quater p. h. h. XII interpretabitur.

EDMUNDUS STENGEL, phil. Dr., linguarum et litterarum recent. P. P. O., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes seminarii Romanico-Anglici* una cum Friderico Klincksieck, phil. doctore et linguae Franco-Gallicae lectore, moderabitur quater per hebd. h. XI; 2) *privatim in philologiam Romanicam* introducet quater per hebd. h. X; 3) *privatissime exercitationes palaeographicas* moderabitur bis per hebd.

MAXIMILIANUS BAUER, phil. Dr., mineralogiae et petrographiae P. P. O., instituti mineralogici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *privatim petrographiam cum excursionibus* docebit quinquiens per hebd. diebus Lunae ad Veneris h. X; 2) *privatissime a) exercitationes mineralogicas* habebit binis horis die Iovis h. II ad IV, *b) exercitationes crystallographicas* binis horis postmodo definiendis.

HENRICUS WEBER, phil. Dr., math. P. P. O., academiae h. t. rector, 1) *publice exercitationes* seminarii mathematici diriget; 2) *privatim theoriam functionum variabilis complexae* quinis p. h. scholis tradet.

THEODORUS ZINCKE, phil. Dr., chemiae P. P. O., instituti chemici director, 1) *publice repetitorium de chemia anorganica et organica* instituet semel per hebd.; 2) *privatim a) chemiae experimentalis partem primam, i. e. chemiam anorganicam* sexiens tradet per hebd. h. IX, *b) exercitationes practicas in laboratorio chemico* habebit cottidie ab h. VIII ad h. V.

HERMANNUS COHEN, philos. Dr. et P. P. O., 1) *privatim historiam philosophiae antiquae* tradet quater per hebd.; 2) *privatissime exercitationes philosophicas* moderabitur binis horis per hebd.

THEOBALDUS FISCHER, phil. Dr., geographiae P. P. O., coronae Italicae ordinis centurio, 1) *privatim a) climatologiam, geographiae generalis part. II,* tradet ter per hebd. h. XII, *b) geographiam Americae* bis per hebd. h. XII; 2) *privatissime et gratis exercitationes geographicas* moderari perget die Iovis h. VI.

HERMANNUS PAASCHE, phil. Dr., scient. polit. P. P. O., 1) *privatim a) oeconomiae politicae partem primam* docebit quater per. hebd. h. IX, *b) de reditibus publicis* dissseret quater per hebd. h. X; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes oeconomo-politicas* moderabitur die Merc. h. VIII—X.

BENEDICTUS NIESE, phil. Dr., historiae antiquae et philologiae P. P. O., 1) *privatim a) antiquitates publicas populi Romani* tradet quaternis p. h. scholis h. VIII, *b) historiae antiquitatis a primordiis usque ad lapsum lineamenta adumbrabit* h. VIII; 2) *publice* seminarii historici *exercitationibus* praeesse perget die Merc. h. VI—VIII.

CAROLUS EBERHARDUS GOEBEL, philos. naturalis Dr. et botanices P. P. O., horti botanici et instituti botanici pharmacognosticique director, 1) *publice peregrinationes botanicas* moderabitur; 2) *privatim a) elementa botanices* quinquiens per hebd. h. VII disputabit, *b) familias plantarum imprimis officinalium* binis scholis demonstrabit die Lunae et Iovis h. VI p. m., *c) exercitationibus microscopicis* bis per hebd., *d) laboratorio botanico* praeerit cottidie.

ERNESTUS SCHMIDT, phil. Dr., chemiae pharmac. P. P. O., instituti pharmaceutico-chemici director, 1) *publice rationes explorationis medicamentorum* docebit die Veneris h. IV; 2) *privatim chemiae experimentalis partem primam* docebit sexiens per hebd. h. IX; 3) *privatissime exercitationes practicas* in laboratorio pharmaceutico-chemico moderabitur cottidie.

FRID. HENR. EMANUEL KAYSER, phil. Dr., geologiae P. P. O., instituti geologici et palaeontologici director, 1) *privatim geologiam generalem* tractabit dieb. Iov. Ven. Sat. h. XI; 2) *publice Hassiae geologiam praecipue agri Marpurgensis ratione habita adiunctis excursionibus geologicis* die Vener. h. II; 3) *privatissime* et *gratis exercitationes geologico-palaeontologicas* instituet hora postmodo definienda.

THEODORUS BIRT, phil. Dr., philologiae et eloquentiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* in seminario philologo *Senecae Apotheosin* interpretandam proponet, reliquas *exercitationes* adiunget diebus Lunae et Iovis h. VII; 2) *privatim a) Theocriti carmina selecta* interpretabitur ter per hebd. h. IX, *b) Propertii carmina selecta* interpretabitur ter per hebd. h. IX.

LUDOVICUS DE SYBEL, phil. Dr., P. P. O., 1) *publice exercitationes archaeologicas* moderabitur die Lunae h. X; 2) *privatim historiam statuariorum sculptorumque Graecorum* tradet dd. Martis Iovis Veneris h. X.

MAXIMILIANUS LEHMANN, phil. Dr., historiae P. P. O., regiae scientiarum academiae sodalis, seminarii historici director, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *publice exercitationes* seminarii historici moderabitur die Veneris h. VI; 2) *privatim aevi reformationis historiam* enarrabit diebus Lunae, Martis, Iovis et Veneris h. IX.

EDUARDUS SCHROEDER, phil. Dr., Theodiscarum linguarum et litterarum P. P. O., seminarii Germanici director, 1) *publice* in proseminario Germanico *Otfridi librum evangeliorum* interpretandum proponet; 2) *privatissime* in seminario Germanico *Laurembergii satiras nec non etiam Goethii adulescentis carmina* tractabit die Mart. h. VI—VIII; 3) *privatim a) praefatus de fabula et compositione Nibelungiadis selecta capita* interpretabitur die Lunae, Iovis h. VIII die Merc. h. VII—IX, *b) litterarum Germanicarum quae fuerunt aetate Lessingii historiam* enarrabit die Mart. Ven. h. VIII.

GEORGIUS WISSOWA, phil. Dr., philologiae P. P. O., seminarii philologi director, 1) *publice* seminarii philologi sodalibus *hymnum Cereris Homericum* interpretandum proponet reliquasque *exercitationes* moderabitur diebus Lunae et Iovis h. VI; 2) *privatim a) palaeographiam et Graecam et Latinam* docebit d. Lunae Martis Iovis Veneris h. X, *b) Iuvenalis satiras selectas* interpretabitur d. Merc. h. X et d. Veneris h. XI.

2. PROFESSORUM EXTRAORDINIARORUM.

CAROLUS ALHARTUS DE DRACH, phil. Dr., math. P. P. E., quid praelecturus esset non indicavit.

ADOLPHUS EDMUNDUS HESS, phil. Dr., math. P. P. E., 1) *publice* proseminarii mathematici *exercitationes* moderabitur d. Merc. h. VI—VIII; 2) *privatim a) calculum differentialem atque integralem* quinquiens per hebd. docebit h. XI, *b) geometriam syntheticam* tractabit ternis scholis h. X.

GUILELMUS FEUSSNER, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice theoriam experimentorum* tractabit semel per hebd. h. IX; 2) *privatim physices theoreticae partem alteram* quater h. IX docebit; 3) de *exercitationibus physicis privatissime* moderandis cf. quae Melde prof. indixit.

GUILELMUS VIETOR, phil. Dr., philologiae Anglicae P. P. E., seminarii Romanico-Anglici director, 1) *publice exercitationes* seminarii Romanico-Anglici moderabitur bis per hebd. h. XI; 2) *privatim a) introductionem in philologiam Anglicam* tradet bis per hebd. h. IX, *b) historiam linguae Anglicae* enarrabit bis per hebd. h. IX.

FRIDERICUS BERNARDUS FITTICA, phil. Dr., chemiae P. P. E., 1) *publice chemiae historiae partem alteram* semel p. hebd. enarrabit; 2) *privatim a) rei chemicae partis II (chemiae organciae) capita selecta studiosis instituti odontriatici* bis explicabit, *b) chemiam toxicologicam* bis docebit.

PAULUS NATORP, phil. Dr., P. P. E., 1) *publice exercitationes philosophicas* semel p. hebd. moderabitur; 2) *privatim historiam philosophiae recentioris* tradet quater per hebd. h. VII.

BERNARDUS RATHKE, phil. Dr., P. P. E. Halensis, *publice de aquae et ignis usu* disseret bis per hebd. h. V.

3. PRIVATIM DOCENTIUM.

ADOLPHUS ELSAS, phil. Dr., 1) *privatim theoriam elasticitatis et phaenomenorum soni* tradet quater h. X; 2) *privatissime* sed *gratis selecta capita theoriae electricitatis* tractabit binis scholis h. X.

IOANNES STOSCH, phil. Dr., 1) *gratis exercitationes theodiscas* moderabitur semel per hebd.; 2) *privatim a) metricam theodiscam* tractabit bis per hebd., *b) carmina Waltheri Vogelweidensis* interpretabitur bis per hebd.

FRIDERICUS GEORGIUS KOHL, phil. Dr., 1) *privatim a) anatomiam et physiologiam plantarum* docebit bis per hebd., *b) plantas medicinales* tractabit bis per hebd., *c) exercitationes microscopicas* habebit cottidie; 2) *gratis de fungis pathogenicis* disseret semel per hebd.

GUILELMUS ROSER, phil. Dr. docebit, 1) *privatim a) chemiam volumetrico-analyticam* tradet bis per hebd., *b) gratis chemiae capita selecta* bis per hebd.; 2) *privatim repetitorium chemiae* habebit bis per hebd.

FRIDERICUS KAUFFMANN, phil. Dr., *privatim a) vetustissimae linguae Theodiscae carmina* interpretabitur bis per hebd., *b) septentrionalium linguarum et litterarum elementa* docebit bis per hebd.

REINHARDUS BRAUNS, phil. Dr., 1) *privatissime exercitationes petrographicas et microscopicas* moderabitur bis per hebd.; 2) *privatim repetitorium de rebus mineralogicis* habebit semel per hebd.

LUDOVICUS PLATE, phil Dr., 1) *gratis a) historiam naturalem piscium et amphibiorum* tradet semel per hebd., *b) de animalibus quae vivunt in coloniis et societatibus disputabit* semel per hebd.; 2) *privatim repetitorium zoologiae* habebit bis per hebd.

EDUARDUS STUDY, phil. Dr., *privatim a) encyclopaediam analysis superioris* tradet *b) exercitationes de eadem materie* habebit ad h., *c) in aequationum differentialium theoriam* introducet.

WOLFGANGUS DE OETTINGEN, phil. Dr., 1) *privatim medii aevi et insequentium saeculorum sculpturam* tractabit Martis et Iovis diebus h. XII; 2) *gratis a) Alberti Dureri eiusque sodalium vitam et indolem* illustrabit Mercurii die h. IV, *b) exercitationes ad ingenuarum artium historiam pertinentes commilitonibus* offert semel p. h.

ERNESTUS GRAF, phil. Dr., *privatim Vergili Aeneidem* interpretabitur bis per hebd.

PAULUS KEHR, phil. Dr., 1) *privatim a) de fontibus historiae Germaniae* disseret ter p. h., *b) chronologiam historicam medii aevi* tractabit bis p. h.; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas* habebit semel p. h.

GUALTHERUS IUDEICH, phil. Dr., 1) *privatim res Graecorum inde a bellis Persicis gestas* enarrabit diebus Mart. Iov. Ven. h. XII; 2) *privatissime* et *gratis exercitationes historicas* moderabitur singulis scholis per hebd.

CAROLUS GIESENHAGEN, phil. Dr., 1) *gratis in determinandis plantis* auditores exercebit semel per hebd.; 2) *privatim introductionem in cognitionem cryptogamarum* tractabit bis per hebd.

CAROLUS VON DEN STEINEN, med. et phil. Dr., Rosae ordinis Brasiliani cum stella commendator, *gratis de mundi perceptione qua gentes utuntur incultae* disseret semel per hebd.

FERDINANDUS WREDE, phil. Dr., *gratis de antiquissimis Germanorum litteris* disseret bis per hebd.

IULIUS LEY, phil. Dr., professor, linguae Hebraicae lector, ordinis aquilae rubrae IV. cl. eques, 1) *gratis* leges *metricas poesis Hebraicae* tradet bis per hebd. h. III; 2) *privatim* docebit *a*) *linguae Hebraicae grammaticam* adiunctis legendi et interpretandi *exercitationibus* quaternis per hebd. scholis h. XI, *b*) *carmina metrica ex enchiridio suo* interpretabitur semel per hebd. h. XI.

RICARDUS BARTH, professor, concentuum musicorum director, *de modorum compositione tetraphonorum* disseret binis scholis gratis. Idem instrumentorum musicorum tractandorum cantandique scholas et exercitationes offert.

FR. SCHUERMANN, 1) *delineandi et pingendi artem* docebit scholis quaternis per hebd.; 2) *gratis a*) *doctrinam proiectionum et geometriam descriptivam* tradet semel per hebd., *b*) *delineandi ad naturam rerum exercitationibus* praeerit *adiunctis rusticationibus, ecclesiarum descriptionibus* sim. semel per hebd.

Nec minus praesto sunt, qui equitandi artem et armorum tractationem doceant.